

IOANNIS  
Crucei Picardi,

DE QVINTVPLICI

Substitutione, Liber.

ITEM

*Testandi Methodus, ex uarijs iurifconsultorum  
responsis, ingeniosissime congesta.*

Quæ omnia nunc ab Iacobo Ynardo Araufionensi, diligen-  
tissimè recognita, procedunt in lucem.

THOLOSÆ,

Ex Prælo G. à Boudenille.

1547.




# Iacobus Ysnardus

FRANCISCO YSNARDO  
Fratri Iuris utriusq; studiosissimo, S.



OS libellos Ioannis Crucei antea quidem æditos, nunc autem à nobis maxima diligentia recognitos, Franciscæ Frater, legendos tibi propono. Egregia est autoris fama & eruditio: maxima eorum, quæ ab ipso tractâtur, utilitas: summa denique in recognoscendo fides. Quæ omnia, te (sat scio) ad horum librorum lectionem protinus allicient: ut qui à teneris (quod aiunt) unguiculis, non in omni dumtaxat ingenuarum artium genere foelicissimè versatus sis, Verùm etiam aliquot annis, utriusq; Iuris studium avidissimè sis complexus. Quicquid autem est laboris, quem in his libellis, perpurgandis sumere mihi necesse fuit, id tibi ex animo dico, qui me tibi semper innumerabilibus beneficijs deuinxisti. Quæ quidem ut à me tibi copiosissimè reponantur, nihil aliud tibi benè precari uelim, quàm ut propediem, patriæ expectationi respondisse uidearis. Istud uerò tibi dignetur largiri Deus opt. max. qui te perpetuò cælesti fauore prosequatur. Bene uale & me (ut soles) ama. Tolosæ Anno à Virginis partu 1547, octauò cal. Septemb.

# Idem Lectori, S.<sup>3</sup>



**N**O LI mirari, Lector nondum satis in Iure Ciuili uersate, quare Cruceus nullum uerbum de fideicommissaria substitutione fecerit. Neque enim fideicommissum est substitutio. Nam fatentur omnes, nihil esse aliud substitutionem, quam in locum cuiuscunque instituti hæredis deficientis subrogationem.

At in fideicommissò, rogamus hæredem, ut ab adita hæreditate deficiat, & alteri restituat, ita ut sit necesse, eum, qui rogatur restituere hæreditatem, illam adire. l. cogi. ff. ad trebel. Præterea in substitutione, substitutus directe capit hæreditatem ex testamento. In fideicommissò uerò per manus hæredis instituti. Cùm itaque nihil commune habeat substitutio cum fideicommissò, propositus autem Cruceo sermo sit de substitutionibus, merito de Quintuplici substitutione dixit, reiecto fideicommissò. Huius autem te monitum uolumus: quia uulgo solet diuidi substitutio in directam (cuius species sunt uulgaris, &c. quas elegantissimo Cruceus prosequitur ordine) & obliquam, id est, fideicommissariam. Quæ diuisio, quàm sit ridicula, & absurda, ex ijs, quæ nunc adduximus relinquatur exploratissimum. Vale, Lector, & laborem nostrum boni consule, interea dum tibi maiora, melioraque paramus.

Cur fideicommissariam substitutio præterierit.

# Ioannes Cruceus

## FRANCISCO BELCERIO

*Primo Senatus Burdigalensis*  
*Præsidi, S.*



**M**IRIFICA ista tua iurisprudencia, æquifime Præsides, & inusitata quædam in iure dicendo æquitas: neminem non ducunt, ac potius trahunt in tui admirationem. Me uerò (ut quod sentio dicam) ita rapiūt, ut nisi aliquo publico testimonio meam tuarum uirtutum (quas omnes ipsa iustitia in te cumulauit) admirationem testificarer, me planè ingratum iure existimari putem: qui re, & consilio, maxima cum beneuolentia, atque humanitate meis conatibus, & studijs semper fauere dignatus sis. Itaque cum nuper libellum quendam (cui titulum feci De Quintuplici Substitutione) cum ex varijs Doctorum cōmentarijs, tum ex puris sacrarum legum atque constitutionum textibus collegissem (idque non tam alijs, quàm mihi metipsum) atque is rogatu perpetuo amicorum iam edendus planè uideretur: nemini omnium commodius, quàm tibi homini summâ autoritate, summaq; prudentia dici posse putauit. Quid enim aptius Iureconsultissimo, quàm liber de iure disserēs? Scio enim rem à multis diligentius esse scriptam: sed non tanta cum claritate & breuitate. Tu, quæ tua est humanitas, quicquid damus, boni quæso consolas. Quòd si calculum album adieceris, & tutum erit à Zoilorum moribus, & quod nihil est, efficies tui nominis splendore, ut aliquid esse uideatur. Valeto felix.

# Ioannes Cruceus, de

## QVINTVPLICI SVBSTITVTIONE.

### De Vulgari. Cap. I.



V L G A R I S hoc modo concipi solet:

Si ille hæres non erit, ille hæres esto <sup>a</sup>. hoc  
ideo nomine dicta, q̄ vulgò fiat: sapissime  
enim ita homines substituunt: Si Titius hæ-  
res non erit, Seius hæres esto. In qua duo  
extrema cõsiderare oportet: <sup>b</sup> unum quod  
ad eum pertinet, cui fit substitutio: alterum

a. §. i. insti.  
eod.

b. Bart. in  
l. i. ff. eo.

quod ad substitutum refertur: nam uerba ista, Si Titius hæres non erit, ad eum referuntur, cui facta est: Seius hæres esto, ad substitutum. quorum extremorũ prius negatiuè, posterius affirmatiuè atq; positiuè semper enunciat.

Eius tres species esse dicuntur: expressa, tacita, partim expressa & partim tacita. Expressa, quæ modo supradicto con-  
cepta est. Tacita, quam pupillaris expressa in se cõtinet: nam  
si pater impuberi filio in alterum casum substituit, in utrũq;  
casum substituisse intelligitur. <sup>c</sup> Com testator filium impu-  
berẽ instituit, & si intra annos pubertatis decedat, substituit  
Sempronium, pupillaris est expressa (ut proximo dicetur ca-  
pite) in ea pater non expressit casum, quo filius non esset  
hæres: quapropter à lege subintelligitur, quæ præsumit uo-  
luisse patrem etiam hoc loco substitutum uocari. Partim  
expressam & partim tacitam aut ex uerbis, aut ex casibus me-  
timur. Ex uerbis, qualis est, quam reciproca & compendiosa  
in se continent. Ex casibus, si testator dixerit, Instituo Sem-  
pronium: si hæres nolit esse, Titium substituo: nam is casus  
expressus trahitur ad eum casum, quo Sempronius hæres

c. l. iam  
hoc iure. ff.  
eo.

a. Bart. in  
d. l. i.

b. l. gallus  
§. & quid si  
tantum. ff.  
de libe. &  
posthu.

c. l. fin. C.  
de iusti. &  
substitu.

d. §. si. In-  
sti. eo.

e. l. cū pro  
ponas. C.  
de hære. in  
sti.

f. l. placet.  
ff. de acq.  
hæred.

g. l. si. C.  
de ho. quæ  
liber.

h. l. iij. §.  
si ira. ff. de  
libe. & po-  
sthu.

i. l. ij. ff. eo.

esse non poterit<sup>a</sup>. Item si dicat testator, Si filius me uiuo moriatur, nepotem substituo, sub eo casu alij subintelliguntur, puta si deportetur filius, aut emancipetur, & similes<sup>b</sup>

Quinimo substitutio hoc modo cōcepta, Si posthumus non nascatur: intelligitur etiam in eum casum, Si natus hæreditate non adita moriatur<sup>c</sup>. Sexcenta id genus exempla reperire est: sed hæc proposito nostro sint satis.

Verba, Si hæres non erit: in eo quidem, quem alieno iuri subiectum esse testator scit, sic accipiuntur: Si neq; ipse hæres erit, neq; alium hæredem elegerit. In eo uero, quem patrēsa. esse arbitratur, illud significant, Si hæreditatem sibi, uel ei, cuius iuri postea subiectus esse cōperit, nō acquisierit: <sup>d</sup> nam si seruus alterius institutus adeat, dominum facit hæredem, quamuis adire nolle sit in eius arbitrio, etiam ad pellis usque <sup>e</sup> periculum. Item filius sa. ab extraneo institutus patrē olim efficiēbat hæredem: <sup>f</sup> hodie tamen si adeat, hæreditatis proprietatē sibi quarit, patri uerō usumfru&. Item si ita testatus sit pater sa. ut à primo quidem gradu filium præterierit, à secundo solo exhæredauerit, Sabinus, & Celsus, & Iulianus putant, perempto primo gradu, testamentum ab eo gradu, id est, à substitutione uulgari, exordium capere, unde filius exhæredatus est. <sup>h</sup> Idem dicendū est, ut substitutus ex tacita admittatur, siue pupillus uiuo patre moriatur, siue post eius mortē, hæreditate non adita. Ea enim ex legis præsumptione uenit, non ex uerbis: uires ergo suas extendat. Neque ad rem pertinet quod dici solet, patris hæreditate non adita, pupillare testamentum evanescere<sup>i</sup>. quia hoc uerum est, quo ad tabulas pupilli, inq; eis contenta: ceterū quo ad tacitam uulgare, quæ ex legis præsumptione descendit, non sic habet res. Præterea uulgaris de suo hærede & necessario uoluntarium facit. Sui autem & necessarij hæredes sunt, ueluti filius, filia, nepos, neptis'ue, & deinceps ceteri liberi, qui in potestate moriētis modō fuerint. Sed sui hæredes ideo appellatur, quia domestici hæredes sunt, & uiuo quoq; patre quodāmodo

domini existimantur. Necessarij vero ideo dicuntur, quia omnino siue uelint, siue nolint, tam ab intestato, quam ex testamento, ex lege. xij. tabula. hæredes fiunt. <sup>a</sup> Nam si pater ita dixerit, Instituo filium: si non sit hæres, Sempronium substituo: filio libertas datur hæreditatis repudiandæ, etiam ciuili iure, quamuis huic prætor permittat uolenti se abstinere ab hæreditate, ut potius parentis, quam ipsius bona similiter à creditoribus possideantur. <sup>b</sup> Porro expressa pupillarem tacitam continet, placuit enim substitutionem impuberi, qui in potestate testatoris est, à parente factam ita, Si hæres non erit, porrigi ad eum casum, quo posteaquam hæres extitit, impubes decessit. <sup>c</sup> Nam cum instituit pater filium impuberem, & si non sit hæres, Titium substituit: sub expressa continetur tacita pupillaris, adeo ut si filius sit hæres, & intra pupillares annos decedat, locus sit substitutioni ex præsumpta testatoris mente: nõ ex uulgari, quæ iam extincta est, ut infra dicetur, sed ex tacita pupillari. Iuris enim præsumptio est, si pater casum mortis intra ætatẽ impuberem cogitasset, quod eo quoq; casu filio consulisset. Et ita substitutus admittetur ex pupillari tacita, si modo non contrariam defuncti uoluntatem extitisse probetur: <sup>d</sup> aut nisi testator usus fuerit diuisione taxatiua (quales sunt, tantum, duntaxat, & similes) in substitutione, ea enim præsumptionem repelleret: uel nisi pupillus matrem reliquerit superstitem, contra quam tacita pupillaris operari nulla ratione potest, <sup>e</sup> nõ tollitur illa iuris præsumptio matris fauore, qui non patitur eam à lucuosa filij hæreditate secludi. Item ex uulgari testatori non substituto succeditur: ueluti si quis dicat hoc modo, Titius filius meus hæres mihi esto: & si Titius filius meus hæres mihi non erit, Seius hæres esto: quo casu si quidem non erit hæres filius, tunc substitutus patri sit hæres. <sup>f</sup> Quod & locum habet in tacita, ueluti si filio pater substituat pupillariter, & is hæres non sit, ad bona testatoris ex tacita substitutus admittetur.

a. §. sui autem, Institi. de hæred. qualita.

b. d. §. sui.

c. l. quauis C. eo.

d. d. l. quauis.

e. gl. in l. præcibus. C. eo.

f. §. i. Institi. de pupilla. substit.

Hæreditatis aditio uulgarẽ cessare facit, post aditam enim

a. l. post.  
aditum. C.  
eo.

b. l. si ma-  
ker §. si fi-  
lius. ff. eo.

e. l. si ita  
quis. ff. eo.

hereditatem directæ substitutiones non impuberibus filijs factæ expirare solent. <sup>a</sup> nam conditio defecit, scilicet, si non erit hæres. Quod & adeo uerū est, ut si filius, & ex eo nepos posthumus ita hæredes instituatur ut Gallo Aquilio placuit, & nepoti, si is hæres nō erit, Ticius substituatur, filio hærede existente Titium omnimodo, id est, etiam si nepos natus non fuerit, excludi placuit. <sup>b</sup> Item tacitā extingui placet extincta quoq; pupillari expressa, (quod faciet adueniens pubertas) ex præsumpta mēte patris: is enim ad id temporis se coarctauit. Eadem ratione iudicandum, si ita quis substituerit, Si filius meus intra x. annum decesserit, Seius hæres esto: deinde hic ante xiiij. annum post x. decesserit, magis est, ut non possit bonorum possessionem substitutus petere: non enim uidebitur in hunc casum substitutus. <sup>c</sup> quò fit ut tacita, quæ hac in pupillari contenta est, expirare quoque dicatur.

### De pupillari. Cap. I I.



d. l. ij. ff. de  
uulga. cum  
similib.

**S**UBSTITUTIO pupillaris summa nō titur aq̄itate: nam cum impuberes testamentum facere non possint ( quia nullum eorum animi iudicium est ) introductū est, ut quis impuberibus liberis testamentū facere ualeat. <sup>d</sup> Præterea lex cōsiderauit esse pupillum ea in ætate, qua liberos procreare non possit, quo fieret, ut ex se legitimos hæredes non esset habiturus.

e. Barr. in  
l. ij. ff. eo.

f. §. i. insti.  
eod.

His cōcipitur uerbis: Instituo meum filium impuberem, si hæres erit: & si intra pupillares annos decesserit, Sempronium substituo. <sup>e</sup> Item aut nominatim concipitur, uelut, Ticius: aut generaliter, ut Quisquis mihi hæres: quibus uerbis uocantur ex substitutione impubere mortuo filio, qui & scripti sunt hæredes, & extiterunt, & pro qua parte hæredes facti sunt. <sup>f</sup>

Duplici



Duplici in specie reperitur, expressa & tacita. Expressa, quæ supradictis uerbis concipitur. Tacita, quæ in expressa uulgari cōtinetur: placuit enim (ut superiore capite diximus) substitutionem impuberi, qui in potestate testatoris est, à parente factam ita, Si hæres nō erit, porrigi ad eum casum, quò posteaquam hæres extitit, impubes decessit: <sup>a</sup> nam si testator filio prouidit in casum, quò hæres non erit, etiam casum, si hæres erit, & intra pupillarem ætatem moriatur ( si de eo cogitasset ) exprimere uoluisse præsumitur.

a. l. quāuis  
C. eo.

Oportet autem eos, quibus ita substituitur, testatoris esse liberos legitimos & naturales, non solū primi gradus, uerū etiam nepotes, pronepotes, & sic deinceps. Addas etiam eos, qui in utero sunt, qui posthumi uocantur: <sup>b</sup> eos quoq; qui per leges in potestatem alterius transferūt, quales sunt arrogati, <sup>c</sup> & ab ascendētibus adoptati: quibus item adiūguntur adscripti liberorum matrimonio: <sup>d</sup> Item masculos annorū necdum xiiij. & fœminas necdū annorum xij. esse oportet. <sup>e</sup> Eam enim ætatem cōstat esse impuberem. <sup>f</sup> Præterea pupillaris patriam requirit potestatem, & neq; ad rem pertinere potest, quod dici solet, scilicet sublatam esse patriæ potestatis & emācipationis differentiam: quia uerum est, quo ad successionē ab intestato, ceterū ex testamento successionis in proposito meminimus, in qua leges antiquæ seruātur illibatæ. <sup>h</sup> Porro sui iuris adeo debent esse parentis morte, ut recasuri non sint in alterius potestatem, <sup>i</sup> nisi forte testator sit miles: nam quidam filius factus miles, cum decessisset, filio impubere hærede instituto, eiq; substituisset in aui potestate manēti, diuī fratres rescripserūt, substitutionem ualere, <sup>k</sup> Ad hæc cum filio parens substituit, si mortis quoq; tempore nō fuerit in familia, substitutio pupillaris fit irrita: <sup>l</sup> gratia exempli. Pater filio pupillariter substituit, quem emancipauit postea: iam fit irrita substitutio, quia solutus est pupillus patriæ potestate per emācipationē. Testator etiam sibi quoq; testamētum facere debet: ceterū soli filio non poterit, nisi forte miles sit, <sup>m</sup> liberis enim suis

b. d. l. ff.  
eo.

c. l. si plures  
§. in arrogato. ff.  
eo.

d. c. tanta  
enim. qui  
fil. sint leg.  
e. d. l. ff.

f. l. quæ ætate. ff. de  
testa.

g. d. l. ff.

h. gloss. in  
autent. ex  
causa. C. de  
libe. præte.  
i. d. l. ff.

k. l. cum filius factus miles. ff. de milita. test.  
l. l. cohæredi §. cum filia. ff. eo.

m. d. l. ff.

testamentum nemo paganus potest facere, nisi & sibi faciat: nam & pupillare testamentum pars & sequela est paterni testamenti, adeo ut si patris testamentum non ualeat, nec filij quidem ualebit,<sup>a</sup> Item si eos patres precedat, ita demum substitui eis potest, si haeredes instituti sint, uel exhaeredati, ita enim per legem Velleiam succedendo non rumpunt testamentum, nam si principale ruptum sit testamentum, & pupillare euauit.<sup>b</sup> Præterea nisi adita quoque patris hereditas sit, pupillare testamentum euanescit. Planè si omissa causa principalis testamenti ab intestato possideatur hereditas, dicendum est & pupillo substitutum seruandum.<sup>c</sup>

Pupillaris expressa tacitam uulgarem continet. Hic pauca repetamus, quæ etiã superiori capite dicta sunt. Si pater impuberi filio in alterum casum substituit, in utrumque casum substituisse intelligitur.<sup>d</sup> Cum enim testator filium impuberem instituit, & si intra annos pubertatis decedat, substituit Sempronium, pupillaris est expressa, in qua pater non expressit casum, quo filius non esset hæres, quapropter à lege subintellegitur, quæ præsumit patrem uoluisse etiam hoc loco substitutum uocari. Item per pupillarem succeditur pupillo non testatori. Si extiterit hæres filius, inquit Iustinianus,<sup>e</sup> & ante pubertatem decesserit, ipsi filio sit hæres substitutus. Et hoc etiam uerum est in omnibus bonis, tam paternis, quam maternis, & quocumque alio euentu habitis: nam ad substitutos pupillares Ulpianus pertinere uoluit, & si quæ res postea pupillis obuenerint: neque enim suis bonis testator substituit, sed impuberis, cum & exhaeredato substituere quis possit, nisi fortè miles sit, qui substituit hac mente, ut ea sola uellet ad substitutum pertinere, quæ à se ad institutum peruenerunt.<sup>f</sup> Aut nisi sit arrogator: nam in arrogato quoque impubere uoluit idem Ulpianus ad substitutum eius ab arrogatore datum non debere pertinere ea, quæ haberet, si arrogatus non esset, sed ea sola, quæ ei ipse dederit arrogator: nisi fortè distinguatur, ut quartam quidem, quam omnimodo ex rescripto diui Pij

a. §. libe-  
ris. Inst. eo.

b. d. l. h.

c. d. l. h.

d. l. i. h. e.  
iure. ff. eo.

e. §. i. Inst.  
ead.

f. l. sed si  
plures § ad  
substitutos.  
ff. cod.

debut ei relinquere, substitutus habere non possit, ut superfluum habeat: Scævola tamen, lib. x. quaestionum, putat uel hoc arroganti permittendum: quæ sententia habet rationem. Ulpianus etiam amplius putat & siquid beneficio arrogatoris acquisiuit, & hoc substitutum posse habere, ut puta arrogatoris amicus, uel cognatus ei aliquid reliquit. <sup>a</sup> Præterea expressa matrem excludit, etiam à legitima, <sup>b</sup> quam impuberis inofficiosum testamentum dicere nō posse Papinianus respondit, quia pater hoc fecit. <sup>c</sup> Sæpe enim quod quis ex sua persona non habet, hoc per extraneū habere potest. <sup>d</sup> Igitur si pater instituat filium impuberem, & si intra annos pupillares moriatur, substituat Sempronium, adueniente conditione, admitteatur substitutus, matre exclusa. Caterū quæ in vulgari continentur contra matrem nullo modo operabitur, etiam filio non existente hærede, atq; intra pupillarem ætatem mortuo: nã eo casu testatoris hæreditas substitutus accipiet, exclusus tamen propter matrem à pupilli bonis. <sup>e</sup> Item qui patri sunt sui & necessarii, iidem & filio impuberi: nam quos possumus nobis hæredes facere necessarios, possumus & filio, ut seruū & fratrem suum, quāuis in rebus humanis nondum sit: igitur posthumus erit fratri hæres necessarius. <sup>f</sup>

Expirat pupillaris ex testatoris persona, puta si deportetur: maxima enim capitis diminutione tabulæ pupillares fiūt irritæ. <sup>g</sup> Idem dicas ex eiusdem factō: ueluti si sibi & filio testamentū fecisset, deinde sibi tantum, utrumq; superius rumpetur. <sup>h</sup> Præterea ex persona instituti etiam extinguitur: ut quia ad annos pubertatis peruenit: in pupillari enim substitutione licet longius tempus comprehensum fuerit, tamen finietur substitutio pubertate: <sup>i</sup> atq; interdum ante pubertatem, si ita quis substituerit. Si filius meus intra x. annū deceaserit, Seius hæres esto: deinde hic ante xiiij. annum post x. deceaserit, magis est, ut non possit bonorum possessionem substitutus petere: non enim uidebitur in hunc casum substitutus. <sup>k</sup> Porro ex substituti persona expirat, si quis enim filio

a. d. l. §. in arrogato.  
b. l. lucius ff. cod.  
c. l. Papini anus §. sed nec in pub. ff. de inoff. testa.  
d. l. aristot. ff. q. res pig. oblig. post.

e. glo. in l. precibus, C. eo.

f. d. l. sed si plures. §. quos possumus.

g. l. si quis filio §. iustum. ff. de iniusto.

h. l. si quis est §. si iuo. ff. cod.

i. l. in pupillari. ff. cod.

k. l. si ita quis. ff. eo;

substitutus sit, nihil oberit ei in substitutione, si tunc capere possit cum filius decefferit. Contra quoque potest penas in testamento pupilli pati, licet in patris potestate non sit.<sup>a</sup>

a. l. si is  
qui hæres.  
ff. eo.

## De Exemplari. Cap. III.



**E**XEMPLARIS substitutio his uerbis fit, Filium meum furiosum instituo: & si in furore moriatur, substituo Sempronium. Eadem ratione de alio morbo aut uicio, quò quis testari impediretur: unde exemplaris uocatur ad substitutionis exemplum, quæ fit pupillo, qui ætate ipsa etiã testari non potest.

Ea triplex est: expressa, tacita, partim expressa & partim tacita. Expressa, quæ uerbis supra receptis cõcepta est. Tacita, quam uulgaris expressa & pupillaris filio furioso facta continet.<sup>b</sup> Quòd si furioso facta nõ sit, magis est, ut non contineatur, etiã non desint, qui etiã hac specie cõtineri uelint: casum enim aduersamque fortunã spectari hominis neque ciuile neque naturale est.<sup>c</sup> Partim expressa & partim tacita, si quis filiis duobus furiosis hæredibus institutis ita adiecerit, eos inuicem substituo, expressa est generalibus uerbis: tacita uerò specialibus. Quòd etiã ad casum referendum est: nam si quis filio in unius casum furoris substituerit, substitutio ad alium etiã casum furoris porrigitur.<sup>d</sup>

Vtriusque sexus parentibus indultum est exemplariter substituere, non habita patriæ potestatis ratione: nam sola uenit consideranda natura & generationis potestas, quæ in utroque est parente.<sup>e</sup> Pater igitur & mater substituere possunt, nisi hæc ad secundas nuptias conuolauerit, qua specie adeo non potest, ut si & anteq̃ ad secunda uota cõuolasset, substituisset, testamentum euanelceret.<sup>f</sup> lex enim contra foeminas immo-

b. Bar. in l.  
ex facto ff.  
de uulgari.

c. l. inter si  
pulantē §.  
tacitã ff. de  
verb. oblig.

d. Bal. in l.  
humanita-  
tis. C. eo.

e. l. maxi-  
mū uirtum.  
C. de libe-  
rante.

f. Bar. in l.  
ex facto ff.  
de uulga.

deratas atq; intemperatas prospexit: quæ plerumq; nouis ma-  
 ritis non solum res filiorum, sed etiam uitam addicunt.<sup>a</sup> Personæ autem, quibus exëplariter substitui potest, sunt filij  
 naturales & legitimi, uel tantum legitimi, aut legitimatedi co-  
 morbo aut uitio illaqueati, quo testari prohibentur: puta si  
 sint furiosi, mente capti, in totum surdi, muti, prodigi, qui  
 furiosis æquiparantur.<sup>b</sup> eis etiã addas fatuos, nō enim possunt  
 nisi fatua dicere.<sup>c</sup> Nunc uideamus quæ personæ possunt ita  
 substitui. Si filij aut alij descendentes ex huiusmodi personis  
 sapientes sunt, dum tamen similibus morbis correpti nō sint,  
 non licet parenti, qui testatur, alios, quàm ex eo descēdentes,  
 uel unum, uel certos, uel omnes substituere. Si uerò alij liberi  
 testatoris sint sapiētes, ex his uerò personis, quæ ita correptæ  
 sunt, nullus descenderit, ad fratres eorum, unum, uel certos,  
 uel omnes eandem fieri substitutionem oportet.<sup>d</sup>

Parrens sibi quoq; faciat testamentum necesse est, nam le-  
 gitima est relinquenda, e quod fieri non potest, nisi iure in-  
 stitutiōis.<sup>f</sup> Porro parētis hæreditas adiri debet aut acceptari.  
 Sunt enim qui adire non possunt, ut furiosi & mente capti,  
 cum careant animo: non enim ex animo alterius hæreditas  
 adiri potest: sed eo casu bonorum possessio secundum tabulas  
 à curatoribus petenda uenit.<sup>g</sup>

Quamuis autem pupillaris patriam potestatem requirat,  
 hoc tamen non seruatur in exemplari: lex.<sup>h</sup> enim dicit, pa-  
 rentes utriusq; sexus furioso substituere posse, Porro & pu-  
 beribus potest exëplariter substitui, quibus pupillariter non  
 licet. Præterea quamuis filio exhæredato pupillaris fieri  
 possit, i non tamē exemplaris ei iure fiet: lex.<sup>k</sup> enim legitimã  
 portionem ei relinqui iubet. Item etsi pupillo quilibet etiam  
 extraneus substitui possit, hoc tamen non est uerum in exem-  
 plari: certæ enim sunt personæ, quæ substitui debēt: eas paulò  
 ante enumeramus.

Expressa matrē excludit, unde palam est eam in hac substi-  
 tutione posse præteriri, l Contra non excludetur ex tacita,

a. l. lex §. §. serui. C. de admini- tuto.

b. l. i. C. de cura furio. c. l. quidã. ff. de cond. institui.

d. l. hanz nitatis. C. eo.

e. d. l. hu- manitatis.

f. scribẽ. in §. alieno quoq; auct. ut cum de appel.

g. l. si §. sin autẽ perpe- tuo. C. de cura. furio.

h. d. l. hu- manitatis.

i. l. sed si plures §. ad substitutos ff. de vulg. K. d. l. hu- manitatis,

l. Bart. in l. ex facto. ff. de vulg.

quam non posse excludi etiam à pupillari tacita superiori ca-  
pite dictum est. Item uulgarem tacitam cōtinere eam certum  
est, ueluti si testator dicat, filium furiosum instituo, & si in  
furore moriatur, Titium substituo, procul dubio si hæres non  
sit, & furiosus decedat, substitutus ex uulgari tacita succedet.

a. arg. d. c.  
ad substitui-  
tos.

b. d. l. hu-  
manitati.

Præterea quemadmodum pupillariter substitutus ad omnia  
bona admittitur, ita etiam is qui exemplariter substituitur. <sup>a</sup>  
Finitur autem & expirat, si postea resipuerint hi, quibus  
facta fuerit, aut aliud uitiū in eis cessauerit: <sup>b</sup> nam quæadmodū  
iure ciuili pubertate finitur testamentū pupillare, ita in eo,  
qui propter infirmitatem nō potuit testari. Nam et si furioso  
filio substituit quis, dicendū est desinere ualere testamētum,  
cum resipuerit, quia iam potest sibi testamentū facere, etenim  
iniquum esset, si adhuc id ualere dicitur: <sup>a</sup> ferret enim testa-  
menti factiōnē homini sanæ mentis. Igitur etiam agnatione  
sui hæredis dicendum est rumpi substitutionem, quia nihil  
interest alium hæredem institueret ipse filius postea, an iure  
habere cœperit suū heredē: nec enim patrē de hoc casu co-  
gitasse uerisimile est, ut eū qui postea nascere ex hæredaret. <sup>c</sup>

c. d. l. ex  
facto.

## De Reciproca. Cap. IIII.



d. l. Titius.  
ff. de hære.  
institui.

e. l. quia ta-  
cita. ff. de  
hære. insti.

RECIPROCA, siue breuiloqua ita con-  
cipitur: Titium & Seium hæredes instituo,  
& eos inuicē substituo. Vel: Titius & Seius  
uter ue eorum uiuet, hæres esto. Celsus  
existimauit <sup>d</sup> si uterque uiuat, ambos hære-  
des esse: & mortuo altero eū, qui supererit,  
ex assē heredē fore. hoc enim casu tacitam  
substitutionem Ulpianus ait <sup>e</sup> inesse uideri institutioni. Dici-  
tur autem reciproca, quia plures substitutiones reciproce re-  
petit, & breuiter reflectit: hæc enim uerba, Publius, Marcus,  
& Caius inuicē substituti hæredes sunt, Ulpianus sic inter-

pretanda esse ait , ut <sup>a</sup> breuiter uideretur testator tres instituisse hæredes, & inuicē eos substituuisse, perinde ac si ita scripsisset, ille, & ille, & ille instituti hæredes, & substituti sunt.

a. l. cum in testamēto. §. hæc uerba ff. de hæred. insti.

Personis æqualibus facta, varias continet substitutiones: puta, si puberibus duobus nullo morbo, aut uitio correptis fiat, duæ continētur uulgares: neq; enim ea specie pupillarem continebit, quæ solis impuberibus fieri solet: neq; exemplarem, quæ furiosis, mente captis, surdis, mutis, prodigis, & similibus personis fit. Item cum pater impuberi filio in alterū casum substituit, in utrumq; casum substituuisse intelligitur, siue filius hæres nō extiterit, siue extiterit, & impubes decesserit. Quod ius ad hęc quoq; substitutionē Modestinus trahi uoluit: <sup>b</sup> nā si pater duos filios impuberes hæredes instituat, in utroq; casu reciprocā substitutionem diuus Pius constituit: ergo duas uulgares, pupillaresq; totidem. Porro si quis ita dixerit, Duos filios meos impuberes instituo, & si intra pubertatem uel quādocunq; moriantur, eos inuicem substituo: sex complectitur: duas uulgares, si hæreditas adita non fuerit: totidem pupillares, si post aditam hæreditatem impuberes decesserint: nec non duas fideicommissarias, si post pubertatem moriantur. Præterea si ita dixerit, Duos filios meos impuberes furiosos instituo, eosq; si intra pubertatis tempora, uel postea in furore, uel quādocunq; decesserint, inuicem substituo, octo continet: duas uulgares, si hæreditas nō fuerit adita: totidem pupillares, si hæreditatem adierint, & intra pupillaria moriantur: item duas exemplares, si in furore: ac postremo duas fideicommissarias.

b. l. i. hoc iure. ff. de uulga.

Quod si personis fiat inæqualibus, non ita procedit quod dictum est, nam si alter pubes, alter impubes inuicem fuerint substituti, in uulgare tantūmodo casum factam uideri substitutionem Seuerus & Antonius constituerunt. Incongruens enim uidebatur, ut in altero duplex substitutio, in altero sola esset uulgaris. <sup>c</sup> Et quamuis placuerit substitutionem impuberi, qui in potestate testatoris fuerat, à parente factam ita,

c. d. l. iam hoc iure.

Si hæres non erit, porrigi ad eum casum, quo posteaquã hæres extitit, impubes deceßit, si tamẽ ita quis dixerit, Si mihi Firmianus & Aelia uxor mea hæredes nõ erũt, in locũ illorũ Publius Firmianus hæres esto: uoluit Alexander Imperator in eum casum factam substitutionẽ, quo utriq; hæredũ substitui potuit. <sup>a</sup> Hoc itaq; casu singulis separatim substituere pater debet, ut si pubes hæres non extiterit, impubes ei substituat: si autẽ impubes hæres extiterit, & intra pubertatẽ deceßerit, pubes frater in portionẽ cohæredis substituat: quo casu in utrumq; euentũ substitutus uidebitur, ne si uulgari modo impuberi quoq; substituat, uoluntatis quæstionẽ relinquat, utrũ de una uulgari tantũmodo substitutiõẽ in utriusq; p̃sona sensisse intelligatur. Ita enim in altero utraq; substitutio intelligitur, si uoluntas parẽtis nõ refragetur, uel certe euitandæ quæstionis gratia specialiter in utrũq; casum impuberi quis substituat fratrem, siue hæres nõ erit, siue erit, & intra annos pubertatis deceßerit. <sup>b</sup> Et ut breuiter finem huic capiti imponamus, admonendi sumus, substitutiones in hac contentas expressas esse, saltẽ in genere: quod satis est, ut in ea pupillaris comprehensa matrem excludat. <sup>c</sup>

a. l. quãuis  
C. eo.

b. d. l. iam  
hoc iure.

c. l. Incius.  
ff. de uulg.

## De Compendiosa. Cap. V.



**C**OMPENDIOSA substitutio his uerbis concipitur, Titium filium meũ heredẽ instituo, & quandoquẽq; moriatur, Seiũ illi substituo. Ideo cõpendiosa dicitur, quia cõpendio, id est, uerborũ breuitate plura tempora, pluresq; substitutiões cõprehẽdit: scilicet uulgarem, pupillarem, exemplarem.

Verba autem, quibus fit, in triplici genere reperire est: di-  
recta scilicet, obliqua, & cõmunia. Directa dicuntur, per quæ  
substitutus ad bona peruenit, non per alterius personam, sed  
per se,



per se, & directo: <sup>a</sup> qualia sunt, Hæres esto, Dominus esto, Hæredem instituo, & similia. Obliqua, per quæ testator rogat hæredem, ut hæreditatē restituat Sempronio: idem si iubeat. Ia summa, sunt per quæ substitutus ad hæreditatem peruenit per alterius personam, non per se. Cōmunia sunt, utriq; sensui conuenientia. qualia sunt, Substituo, Deferatur, Remaneat, Perueniat, Redeat, Habeat, & similia.

Fit aut à milite, aut à pagano. Et primo de ea quæ fit à milite uideamus. Militi concessum est, ut hæredi suo, siue extraneo possit directo substituere, etiam post pupillares annos: ut puta si miles ita dixerit, Sempronium instituo, & quodocunq; decesserit, Titius hæres esto: substitutio semper erit directa, capietq; etiam propria bona filij substitutus iure communi, post eam ætatem ex priuilegio militū patris duntaxat, cum fructibus inuentis in hæreditate. <sup>b</sup> Alia autem instituti pupilli bona, qui iam pubes factus esset, legitimus hæres accipiet, aut testamentarius, si testamentum fecerit. Quæ locum non habebunt, si matrē habeat is, cui miles compendiose substituit: nam eo post tempora pubertatis defuncto, testatoris hæreditatem substitutus per se accipiet: quòd si mater in medio sit, ab ea per fideicommissum. Nec ad rem pertinebit, si quis hoc uerum esse affirmare nitatur in cōpendiosa uerbis communibus facta: nam Maximianus & Diocletianus imperatores contra constituerunt, etiam usi in sua constitutione uerbis directis, scilicet, si miles secundū hæredem scripserit. Igitur eo casu matris fauore & militis priuilegio uerba directa obliquantur. <sup>d</sup>

Nunc ad Paganum ueniamus, in cuius substitutione plerique miserabiliter se torquent: querentes, an compendiosa ab eo uerbis directis facta post ætatem impuberē, in obliquā uerti possit. Sed quid, Deus bone, ita cruciantur cum Papiiano placuerit, uerbis ciuilibus, id est, directis, substitutionē post xiiij. annū, ætatis frustra fieri. <sup>e</sup> Nihil enim absurdius est, quàm directum cum obliquo. neq; obtare potest directam à

<sup>a.</sup> Barr. in l. centurio. ff. de vulg.

<sup>b.</sup> l. centurio. ff. de vulg.

<sup>c.</sup> l. predictibus. C. co.

<sup>d.</sup> Politus in materia compend.

<sup>e.</sup> l. uerbis. ff. de vulg.

milite factam obliquari posse. quia hoc militis priuilegio fit, ut paulo ante diximus.

Compendiosa autem uerbis obliquis concepta, siue filius intra ætatem impuberem, siue postea moriatur, semper hæredes legitimi succedent, à quorum manu bona substitutus accipiet, <sup>a</sup> ut puta si testator ita dixit, filium hæredem instituo, & quodcumq; morietur, eum rogo, ut Sempronio hæreditatem restituat: quod uerbum obliquum esse supra declarauimus.

Supereff nostro proposito manū supremam impositurij, ut ad compendiosam cōmunibus uerbis factam properemus, circa quā ita distingui solet: Aut sit filio puberi, uel extraneo, aut filio impuberi, Si filio puberi, uel extraneo, omni tempore dicitur obliqua: non potuit enim iure directo ualere: igitur fideicommissaria sit necesse est, illis enim personis ita substituere nemo potest, ut si hæres extiterit, & intra aliquod tempus decesserit, alius eius sit hæres: sed hoc solum permisum est, ut eum per fideicommissum testator obliget, alij hæreditatē eius uel totam uel pro parte restituere. <sup>b</sup> Quòd si filio impuberi compendiose pater substituerit, eo intra pupillarem ætatem defuncto, directa iudicabitur: sed si iam pubes factus decesserit, fideicommissaria. Neque enim oblitabit quod supra diximus, scilicet nihil esse absurdius, quàm directam cum obliquo: non enim eo casu in obliquam directa uertitur, quia utraque, specie sua, perinde agit, ac si sola extiterit.

a. l. cohæredi §. cum filiae uerfic. quod si. ff. de vulga.

b. §. extraneo inst. de pupilla.

# Iacobus Yfnardus<sup>19</sup>

LECTORI. S.



*V*periori libro, amice Lector, ferè omnia Iuribus in margine adiectis uidisti comprobata: uerùm quoniam hic, qui sequitur, breuissimus est, & ad uerbum ferè è puris Iurisconsultorum Textibus transcriptus, planè futurũ erat inutile in eo idem obseruare. Cũ nemo sit, cui ( etiam inuito ) textus illi ex omni iure

Ciuii non occurrant. Fœliciter uale, & doctorum uirorum scriptis dum licet fruere.

Tolosæ octauo Calend. Septemb.

Anno à *V*irginis partu,

1547.

C 19

## Ioannes Cruceus Ca\_

ROLO CANDELABIO

Viceprefectò Burdigalensi S.



VOTIDIANA illa consuetudo, quæ inter nos intercedit, uir humanissime, fecit ut à tuarum uirtutum encomio abstinuerim: non enim defuissent, qui me blandiloquentiæ studuisse putassent. Cæterum (mibi enim & in hac re obloqui iure non poterunt) palàm fatebor, te uirtutibus omnibus uel cumulatissimè esse dotatum, atq; in te perfici illum orbem doctrinæ: quem Græci encyclopediam uocant. Qualis si non esses, urbis Burdigalæ uice præfectus minimè esses creatus: non enim tanto munere dignus est, nisi qui uiri iuris germanæq; iustitiæ solidam & expressam effigiem tenet, & cuius prudentia in cauendo, non in decipièdo perspicitur. Istam igitur tuam nouam dignitatem, nisi nouo xeniolo tibi congratuler, non mihi satisfacere uidear: quippe qui liberali quadà & planè ingenua beneuolentia mihi semper profueris. Itaq; cum superioribus diebus testandi Methodum ex ipso iure ciuili congeissem, tibi, cui omnia debeo, dicaui. Quòd si nostrū laborem ea animi hilaritate in tuam, uel omnium locupletissimam, bibliothecam receperis, qua tibi à me oblatu est, eris mihi Antimacho Plato unus in probanda mea Methodo instar omnium. Bene uale Burdigalæ. VIII. Idus Septembris. M. D. XXXV.

# Testandi Methodus,

## PER IO. CRUCEVM.



**T**ESTAMENTVM per scripturam facturus, primò voluntatem suam propria manu, uel cuiuslibet alterius in tabulis, aut in chartis, membranis'ue, uel in alia materia describat. Deinde conuocatis septem testibus, & rogatis, masculis omnibus, liberis, & puberibus, scripturam con- signatam, uel ligatam, uel inclusam offerat, asserens suum esse testamentum, quod profertur. Nec idè infirmabitur, quòd testes ignorent, quæ in eo scripta sunt. Postremò iidem testes uno eodemq; tempore, suo annulo, uel alieno, subscribant, subsignentq; seipse quoq; in reliqua testamèti parte sua manu subscribat. Quòd si forte contingat eum subscribere non posse, octauum adhibeat pro se subscriptorem.

De testamè-  
to in scri-  
ptis.

Eius uerò qui per nuncupationem, hoc est, sine scriptura, testatur, non aliàs ualebit testamètum, quàm si septem testes masculos, liberos, atq; puberes ( ut suprà dictum est ) rogatos, uno eodemq; tempore conuocet. Deinde coram eis suam uoluntatem nuncupet, atq; manifestet, ad quos sua bona pertinere uelit, uel quibus legata dari, uel fideicommissa, uel libertates. Quòd si ita testatus fuerit, & eius uoluntatem & testamètum sine scriptura facientis testes audierint, hoc perfectissimum iure ciuili firmumq; permanebit, etiam si nò ante suam dispositionè prædixerit illa formalia uerba, idè eosdè testes conuenisse, quòd sine scriptis suam uoluntatem, uel testamentum componere censuit.

De testamè-  
to per nun-  
cipationem.

Cæcus seu morbo, uel ita natus, per nuncupationem testa-  
mentum ita facere debet, ut primùm septem testes, & tabula-

De testamè-  
to Cæci.

rium ad se conuocet, & quòd sine scriptura testatur, edoceat. Deinde exprimat speciatim nomina hæredum, dignitates, & indicia, ne ex sola nominum commemoratione ambiguitas oboriatur: & ex quot uncijs hæredes instituat: & quæ legata, aut fidecommiffa, uel libertates relinquat. Quibus omnibus declaratis, testes simul atq; tabularius uno loco & tempore subscribant, atq; subsignent. Caterùm quoniã copia tabularij non semper ubiq; fit, si is reperiri non possit, octauus testis adhibeatur, qui tabularij fungatur officio.

De testamēto Muri & Surdi.

Si quis sit natura surdus, simul & mutus, testamentum facere non potest. Sed si calamitas postea superueniens uocem abstulerit, & aures obturauerit, si nouerit literas, sua manu debet scribere testamentū. Si uerò tantum surdus fuerit, pro suo testabitur arbitrio, cui enim sermo à natura conceditur, non prohibetur omnia, quæ uelit, facere. Si uerò tantum mutus sit, sed peritus literarū, suum debet scribere testamentum.

De testamēto rustici & prorsus illiterati hominis.

Vbi rarò inueniuntur literati homines, rusticano antiquam consuetudinem pro lege obseruare cōceditur, ita tamen ut si septem testes literarū periti inueniantur, omnes cōuocentur, atq; unusquisq; pro se subscribat. Quòd si septem nō literati reperiātur, sine scriptura testimonium perhibeant. Sin autem septem non inueniantur, quinque saltem adhibeantur: minor autem numerus nō admittitur. Si aliqui testiū periti fuerint, conceditur his uice ignorantū, presentū tamē, subscribere, ita tamen, ut omnes testatoris uoluntatem intelligant, postq; eius mortem deponāt. Testamentum igitur quod rusticanus pro suprā dicto modo faciet, omnimodo firmum ualidumq; permanebit, nam ei in multis legū subtilitatibus stricta obseruatio remittitur, cum enim testamenti factio sub certa legum definitione introducta sit, uix fieri potest, ut hi quibus non est literarū scientia in suis testamentis tantam legis subtilitatem obseruent.

De testamēto furiosi.

Si quis furiosus dilucidus habeat inducias, ita testari debet, ut sanus mente incipiat facere testamentū, & illud persō-

ciat antequam furor interueniat, septem etiam testibus cōsocratis. Quod si incepto testamēto furor superueniat, tale testamentum ab eo factū, qui in ipso testandi actu furore torquetur, pro nullo habebitur.

Agentes in expeditione, quomodo uolunt, possunt testari: nam licet eis uoluntatē suam in uagina aut clypeo literis, cruore suo rubētibus, aut in puluere describere gladio sub id tēpus, quo praelio uita defungūtur. Quibus uxores, aut filios, aut amicos, aut commilitones suos, aut cuiuslibet generis homines hæredes instituere concessum est.

Supradictorum testamentorū solennitatem uincit, quod per supplicationē inter nobiles, egregiasq; personas principi inuatum est: nam quemadmodum testamentū firmum est, quod actis cuiuscunq; iudicis, aut municipum, aut priuatorum auribus publicatur: ita etiā de eo non dubitabitur, quod medio & præsente principe, & omni iure, quod in eius scripijs repositum est, teste conficitur. Nec ideo infirmabitur, si princeps nihil rescripserit: is enim uoluntates hominum audire nult, non præcipere, ne per rescriptum commutationem testamenti prohibere uideatur.

Sed quia testamēta uim ex hæredis institutione accipiūt, obq; eam causam ueluti caput atq; fundamentum intelligitur totius testamēti institutio, precium est operæ, ut de ea pauca dicamus. Hæredes igitur instituere cōcessum est tam liberos homines, quā seruos: & tam proprios, quā alienos: & unū hominem, & plures, usq; in infinitum. Sed si plures instituantur, hoc casu partes distribuatur testator necesse est, si nolit eos ex æquis partibus hæredes esse: nam certi iuris est: partibus non distributis ex æquis portionibus ad hæreditatem eos uocari. Hæredes purè & sub cōditione institui possunt, ex certo tempore, aut ad certum tempus non possunt: nam si tempus adijciatur, pro superuacaneo habebitur, & perinde erit, ac si pura esset hæredis institutio.

Item nemo Titio cōfidens ita testari potest: Instituo hæ-

redem eum, quem Titius uoluerit, aut si Titius uoluerit: contingeret enim, ut caperetur, decipereturq; testator, si Titius nullum declararet. Præterea testamenti factio à mera iuris gratia introducta est: quod igitur gratia concessum est, idq; contra iuris rationē, non est producendū ad consequentias: nam satis constanter ueteres decreuerunt testamentorū iura ipsa per se firma esse oportere, nō ex alieno arbitrio pendere. Quod sit, ubi in alterius absolutā & expressam non uelatam hæredis institutio confertur uoluntatem nonnunquam enim cōringit, ut quædā nominatim, ut inquit Modestinus, expressa officiant, quāuis omissa tacitè intelligi potuissent, nec essent offutura. Inde dictum est: Expressa nocent, non expressa non nocent. Veluti si quis Sempronium hæredem instituat sub hac conditione, si Titius in Capitolium ascenderit, quamuis non aliàs hæres esse possit Sempronius, nisi Titius ascenderit in Capitolium, & hoc ipsum in potestate repositū sit Titij, quia tamen non est expressa uoluntas Titij, ualebit institutio. Atqui si quis ita scripserit, si Titius uoluerit, Sempronius hæres esto: non ualebit institutio: quædam enim si in testamēto exprimentur, nullius sunt momenti, quæ si supprimantur, eiusdem sunt significationis, cuius essent expressa.

Porro error in corpore uitiare solet hæredis institutionē: ueluti, si quis uult alium hæredē instituere, alium instituat, in corpore errans. eo casu Ulpianus respondit, neq; cum hæredem esse, qui institutus est, quoniā uoluntas testatoris deficit: neq; eum, quem uoluit, quoniam institutus non est.

Item falsā causa infirmat institutionē: ueluti, si quis Titium hæredem instituit, rumore perlato quasi Titio mortuo, mutet testamentum, Semproniumq; hæredem instituat, hac præfatione: Quia hæres, quem uolui mihi habere, non potuit contingere, Sempronius hæres esto, ex uoluntate testantis ad Titium hæreditas pertinebit: nam falsus rumor nō solet obesse.

Præterea iure civili, qui filium in potestate habet, operam dare debet, ut eum hæredem instituat, uel propter aliquam



ingratiitudinis causam exheredem nominatim faciat. Alioqui si eum silentio prætereat, nullum erit testamentum: adeo quidem, ut si uino patre filius moriatur, hæres ex tali testamento existeri nemo possit, quia scilicet ab initio non ualuit testamentum. Nominatim quis ita exheredatur: Titius filius meus hæres esto. Siue ita: Filius meus exhæres esto, nõ addito proprio nomine, scilicet, si testator alium filium non habeat. Iustæ exheredationis causæ hæc solent enumerari: Si quis parentibus suis uolentis manus intulerit, aut atrocem contumeliam ingesserit, aut de criminibus publicis eos accusauerit. quæ contra principem, aut rempublicam nõ sunt admissa. Si cum ueneficis ut ueneficus cõuersetur, aut uitæ parentum, aut ueneficio, aut alio maleficio infidiatus sit. Si cũ nonerca sua, aut patris concubina rem habuerit. Si calumniatus fuerit contra parentes, qui ex eiusmodi delatione grauias sustinuerint dispendia. Si parentem carcere inclusum, precibus ab eo petitus, filius in fidem suam recipere noluerit: aut pro persona, pro uere alieno fideiubere, in quantum idoneus esse comprobatur. Hoc uerò quod de fideiussione dictum est, ad liberos masculos, & solos quidem, pertinebit. Si filius conuincatur quod parentem suum testamentum facere prohibuerit, si postea testamentum facere potuerit, licet ipsi ea de causa filium exheredem facere. Si præter uoluntatem parentis cum arenarijs, uenatoribus, aut mimis filius conuertetur, & in ea professione permaneat, nisi fortè & parens eiusdem professionis fuerit. Si cui filia nepti uel suæ maritum dare, & secundum uires patrimonij sui pro ea dotem constituere uolenti, illa non consenserit, sed turpem uitam delegerit. Sed si filia legitimam ætatem habeat, & parens differat eam marito copulare, & ex hoc contingat, ut in corpus fortè suum peccet, aut sine consensu parentis marito (libero tamen) se coniungat, hoc ad ingratiitudinem filia non est imputandum, quandoquidem non sua, sed parentis culpa hoc dignoscitur admisisse delicti. Si quis furiosus fuerit, & filius ministerium illi,

1. & filiam.  
§ sed si post  
C. de inu.  
testa.

& conuenientem sollicitudinem non exhibuerit, si eiusmodi morbo liberatus fuerit, liceat ei utrum filium, qui eius curam non gessit, in testamento suo uelit ingratum scribere: Si parentem in captiuitate detineri contigerit, & filius eius non festinauerit hunc redimere, si captiuitatis calamitatem possit effugere, in eius potestate sit, utrum hanc ingratitude causam in suo describere uelit testamento. Si parens, cum ipse orthodoxus sit, sentiat filium suum non esse catholicæ fidei, talisq; in ea infidelitate perseveret, datur parenti licentia ut hac maximè de causa ingratum cum & exheredem in suo testamento describat. Siue igitur omnes prædictas causas, siue certas ex ijs parentes in suo descriperint testamento, & scripti hæredes ueras esse monstrauerint, testamentum firmitatem suam obtinebit. Quod dictum est, in testamento parentes prædictas causas inferere debere, ita accipiendum est, nisi filijs consulere uoluerint: multi enim non notæ causa exheredant filios, sed ut consulant: aut nisi exheredationi se subscriperint filij, nam si qui sua manu exheredes se scripserint, Marcellus lib. ix. digestorum, nocere eis hanc exheredationem respondit.

Quibus non  
sit permittendum  
facere testa-  
mentum.

Verum quia non omnibus licet facere testamentum, uideamus de his personis quæ testamenti factionem non habent: nam si cognouerimus quæ istæ personæ sunt, simul intelligemus quæ testari possunt. Qui igitur in potestate parentum est, testamenti factionem non habet: adeo ut quamuis parentes ei cõcedant, nihilomagus tamen testamentum facere possit.

Impubes testamenti faciendi ius non habet, quia nullum eius animi iudicium est: nec ad rem pertinet, si postea pubes factus mortuus sit. Item furiosus non habet, quia mente caret: neque etiam ad rem pertinet, si postea sanæ mentis decesserit. Quod si eo tempore testatus sit, quo furor eius intermissus erat, iure testatum esse supra diximus: nam testamentum, quod ante furorem confecerit, firmum erit: neque enim testamentum recte factum, nec ullum aliud negotium recte

gestum postea furor interveniens potest infirmare. Surdum natura, simul & mutum testamentum facere non posse, etiam supra declaratum est: sed si quis, posteaquam testatus fuerit, valetudine aduersa, aut quolibet alio casu mutus aut surdus esse coeperit, ratum nihilominus habebitur testamentum. Si cui aqua & igni interdictum sit, nec illud testamētum ualet, quod antē fecit, nec quod postea factum est. In insulam deportatus in eadem causa est: sed relegatus in insulam, & cui sua prouincia interdicatur, testamenti factionem retinet. Ille uerò qui ad ferrum, aut ad bestias, aut in metallum damnatus est, ius faciendi testamenti amittit. Obles testamenti factionem non habet, nisi ei concedatur à principe. De statu hæsitans, uel errans, testari non potest, ut Diuus Pius rescripsit. Prodigus, cui bonorum suorum administratio interdicta est, ius non habet testamenti faciendi: sed testamentum, quod antē confecerit, quàm interdictio bonorum suorum ei fiat, firmum est. Seruus non habet ius testandi. Monachus ipso ingressu in monasterium se & sua bona Deo dedicat, ergo de his testamenti faciendi ius non habet, ut pote eorum iam priuatus dominio.

F I N I S.



FRANCISCVS YSNAR.  
dus Arausionensis, Iacobo Yjuar  
do Fratri.

Id, quod amicitia tribuendum prima putarunt  
Tempora, fraternus uincere debet amor.  
Namq; suas utres a quolibet illa requirit,  
Hic est sanguineo uimine dignus amor:  
Interrupta potest aliquando relinquere illa,  
Hospitij iuri ni sit habendus honor:  
Mutuus ast hic amor nunquam disjungit utrumq;  
Fraus nisi praecepto facta sit ulla Det.  
Ergo tuis a me fit non iniuria captis,  
Si modo pollicitis stare rogere tuis.  
Oro, tuis posthac captis aspires Iesus,  
Te patriae columen praestet anile, uale.

Typographus Lectori.

Egregias, hic opes, summam dat uimq; libellus,  
Venditur & parui: sors bona. Lector eme.

R I N I S

Antoiny Genaud

